

pertiatur. Καθολου δε και περι παντος ούτινοσουν ἐξοδευοντος, αἰτουντος του μετασχειν εὐχαριστιαν, ὁ ἐπίσκοπος μετα δοκιμασιας ἐπιδοτω. Eisi demus primam partem canonis spectare ad eos, qui iam poenitentiam susceperant, quod altera pars satis indicare videtur: negari tamen nequit ultimam partem universaliorum esse, omnesque comprehendere, qui communionem petant, quibus ab Episcopo danda sit utique cum probatione, quae semper requiritur in Sacramentorum administratione, qua scilicet probabiliter constat eorum idonea dispositio, cf. Hefele Historia Concill. Tom. 1. ad hunc canonem. Nullo autem indicio apparet heic a Patribus nicaenis novam condi legem, nulla opposita consuetudo improbatur, sed potius eo pacto decretum fertur, quo solet lex iam nota rursus confirmari.

Itaque haec testimonia nos docent sensum communem et praxim universae Ecclesiae antiquae fuisse ut omnibus morituris sincere penitentibus daretur reconciliatio, nullo hominum peccatorum genere excluso, imo ea diserte reiecta ratione, quae maxime pro differentibus usque ad mortem poenitentiam valere poterat.

Opponitur Cyprianus, qui epistola ad Antonianum suo et aliorum quinque Episcoporum nomine scripta, ait: « Idcirco, frater carissime, poenitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, et manifesta lamentationis suae professione testantes, prohibendos omnino censuimus a spe communionis et pacis, si in infirmitate atque in periculo ceperint deprecari; quia rogare illos non delicti poenitentia, sed mortis urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte recipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum. »

Respondeo 1) probabiliter (quod ex postea dicendis de scopo poenitentiae sollemnis constabit) non agebatur heic de reconciliatione sacramentali, sed de ea, quae in fine poenitentiae solebat dari et de admissione ad sacramenta altaris.

Si secus censeas, respondeo 2) sententiam Cypriani non esse sententiam Ecclesiae, quae e contrario a decreto Nicaenae Synodi, responsis Romanorum Pontificum Caelestini et Leonis, atque Bulla quoque Pii VI mox citanda repraesentatur.

3) Ex ipso tenore responsi Cypriani manifestum esse quod ea erat sententia priva eorum sex Episcoporum, qui se censuisse ita dicunt, nullumque argumentum producant ex traditione aut praxi Ecclesiae.

Quare Cyprianus, in hac hypothesis, modum excessisset et vere errasset. Non tamen error in eo fuisset quod peccatores aliquos absolvendi deesse Ecclesiae potestatem crediderit, sed quod putaverit huiusmodi in exitu vitae reconciliationem petentes non esse vere dispositos.

Opponitur canon ultimus Synodi Arelatensis habitae anno CCCXIV,

qui sic habet: « De his qui apostatant et nunquam se ad Ecclesiam repraesentant ne quidem poenitentiam agere quaerunt et postea infirmitate arrepti petunt communionem; placuit eis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint dignos fructus poenitentiae. »

Respondeo hic negari *communio*, qua quid intelligi debeat dicemus infra.

Opponitur responsum Innocentii I in epist. ad Exuperium Episc. Tolosanum: « Et hoc quaesitum est quid de his observare oporteat, qui post baptismum omni tempore incontinentiae et voluptatibus dediti in extremo fine vitae suae poenitentiam simul et reconciliationem communionis exposcunt. De his observatio prior durior, posterior, interveniente misericordia, inclinatio fuit. *Nam consuetudo prior tenuit ut concederetur eis poenitentia, sed communio negaretur.* Nam cum illis temporibus crebrae persecutiones essent, ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu, *negata merito communio est*, concessa poenitentia, ne totum penitus negaretur, et *durio* remissionem fecit temporis ratio. Sed postquam Dominus noster pacem Ecclesiis suis reddidit, iam depulso terrore communionem dari obeuntibus placuit, et propter Domini misericordiam quasi viaticum profecturis, ne Novatiani haeretici negantis veniam, asperitatem et duritiam sequi videamur. Tribuitur ergo cum poenitentia extrema communio ut homines huiusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exilio vindicentur. »

Respondeo. Vel haec consuetudo, quam Innocentius refert, est aliqua consuetudo aliquarum Ecclesiarum, puta Africanarum: et nos de ea solliciti non sumus; vel est consuetudo Ecclesiae universalis et supponitur esse consuetudo negandae absolutionis, et sic Innocentio contradicit Nicaena Synodus, contradicit Caelestinus cum Leone, impiam eam appellans; an potuit impia esse consuetudo Ecclesiae universalis? Porro haec oppositio admitti nequit.

Quid ergo voluit dicere Innocentius? Adverti potest ipsum accurate distinguere inter *poenitentiam et communionem*, illam affirmat concessam, ne totum penitus negaretur, hanc negatam: eundem affirmare *durio* remissionem concessam tum fuisse, quae durior remissio in eo erat quod poenitentia daretur, negaretur communio. Itaque nisi praeoccupati aliqua opinione iudicium ferre velimus, certum est ex ipso Innocentio *remissionem aliquam* concessam fuisse, nam *remissio durior* utique est remissio. Et sane concessa est poenitentia, ne totum negaretur; sed quid est haec poenitentia concessa morituris? an sola exterior ceremonia, qua quis inter poenitentes recenseretur, et poenae obeundae obligationem susciperet? at quid

moriturum haec iuvabat? totum scilicet negatum fuisset, si absolutio fuisset negata. Poenitentia ergo penes innocentium ea est de qua et Caelestinus loco superius citato loquitur; nimirum absolutio vel ritus impositionis poenitentiae cum absoluteione, quod totum cum fieret dicebatur *actio poenitentiae dari*. Itaque remissio durior erat remissio peccati coram Deo, negata communione Eucharistica, quae terminus erat plenissimae remissionis. Cf. quae dicemus in App. §. II.

Hanc interpretationem suffragio licet confirmare Pii VI in Bulla dogmatica *Auctorem Fidei*. Nam haec est doctrina Synodi Pistoriensis, quae 38 loco ponitur. Postquam (ait ss. Pontifex) synodus professa est *se non posse non admirari illam adeo venerabilem disciplinam antiquitatis, quae ad Poenitentiam non ita facile et forte nunquam eum admittebat, qui post primum peccatum et primam reconciliationem relapsus esset in culpam, subiungit: per timorem perpetuae exclusionis a communione et pace, etiam in articulo mortis, magnum frenum illis iniectum iri, qui parum considerant malum peccati et minus illud timent*. Porro haec doctrina dicitur a Pio VI *contraria canoni 13 concilii Nicaeni I, decretali Innocentii I ad Exuperium Tolos. tum et decretali Caelestini I ad Episcopos Viennensis et Narbonensis provinciae, redolens pravitatem, quam in ea decretali s. Pontifex exhorret*. » Si Innocentius I poenitentiae nomine non intelligit remissionem quoque peccati, cum tantum factum narret, neque eam antiquam consuetudinem reprobet, sed potius laudet, quomodo eius decretali contraria est doctrina Synodi Pistoriensis?

Dices Innocentium probare recentiore consuetudinem, qua « communionem dari obeuntibus placuit propter Domini misericordiam, quasi viaticum profecturis, ne Novatiani haeretici negantis veniam, asperitatem et duritiam subsequi videamur. » Et concludit, « Tribuetur (FF. Ballerini, ut supra retulimus, legunt *tribuitur*) ergo cum poenitentia extrema communio, ut homines eiusmodi, vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exilio vindicentur ». Igitur negare communionem erat consentire Novatianis negantibus veniam et communio eo spectabat ut homines a morte aeterna liberarentur: ergo communio erat absolutio a peccatis.

Resp. 1) Aliud est sequi errorem haeretici, aliud est *videri subsequi*: id contingere potest propter quamdam praxim similem, vel propter non plenum recessum a praxi haeticorum. Cum ergo Novatiani ex sua sententia et veniam et reconciliationem cum Ecclesia sacramque communionem negandam esse lapsis contenderent, qui primo, quod frequenter secreto fiebat, concessio, alterum, quod omnibus notum esse poterat, negabat, poterat vulgo videri subsequi duritiam

Novatiani. Ne id ergo videretur, abolita est, ubi aderat, ea consuetudo.

Resp. 2) Innocentius non ait de sola communione quod a perpetuo exitio vindicet, sed id affirmat de utraque, poenitentia et communione. Porro communionis eucharisticae quoque hunc esse effectum nemo negabit, qui verba Christi Ioannis VI perpenderit. Non ergo denegandum morituris Sacramentum, quo vita gratiae per sacramentum poenitentiae acquisita, conservatur, roboratur, et quo per accidens potest ipsa quoque obtineri et ita facilius periculum aeternae mortis evitari (1).

b) *Nulli flagitio Ecclesia veniam unquam negavit*. Hoc quidem intelligendum est, dummodo debitae dispositiones poenitentis praecesserint. Consentit nobis Morinus L. IX. c. 20; contradicunt quidam ut Sirmondus in *Historia Poenitentiae publicae* c. 1. et Christianus Lupus, *De Indulgentiis* c. 1. op. Tom. VI. qui volunt primis duobus Ecclesiae seculis negatam fuisse veniam ullam tribus criminibus, idololatriae seu Apostasiae, Moechiae et Homicidio; ut petentibus quidem Ecclesia poenitentiam pro his criminibus non negaret, pacem autem gratiamque ab uno Deo sperare et expetere iuberet. Petavius (De poenitentia publica, L. II. c. 2) rem non audet definire.

Probatur 1) nostra sententia ex praecedenti. Nam ex eo liquet quod nulli peccatori saltem in morte venia negabatur; ergo nullum erat flagitium, cuius absolutio saltem in exitu vitae negaretur ab Ecclesia.

2) Paulus Apostolus veniam dari iussit incestuoso 2. Corinth. II 5-8. Porro incestuosus plus est quam moechus. Ioannes Apostolus (ut refert Clemens Alexand. apud Eusebium H. E. L. I. c. 17.) iuvenem a se aliquot ante annis baptizatum, qui deinde caput latronum et grassatorum evaserat, ipse iam senex quaesivit inventumque ad Christum revocavit et Ecclesiae restituit Ecclesiaeque ministerio praefecit, atque id absque longa poenitentia praemissa. Hic autem

(1) Cave ne cum hac doctrina Innocentii committas id quod ipse docet epist. ad Decentium c. 8. qui ipsum interrogaverat an poenitentibus danda esset extrema unctio. Cum enim responderit Innocentius extremam unctionem dari fidelibus aegrotantibus hisque omnibus posse dari, subdit: « nam poenitentibus istud (oleum) infundi non potest; quia genus est sacramenti (est scilicet in genere sacramentorum). Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi. » Scilicet poenitentibus, dum sunt in statu poenitentiae, sani quidem, Sacramenta denegantur: at morituris, sicut cetera, et hoc administratur. Videtur autem Decentius interrogasse Innocentium ac poenitentibus, dum sani poenitentiam agunt, liceret unctionem sacram administrare, ea forte permotus ratione quod ea unctio sit cum oratione presbyteri in remissionem peccatorum, ut ait Iacobus.

homicidii criminis certe reus erat, ac probabilissime et moechiae atque idololatriae. Atqui 1) haec facta ad duo priora secula spectant; falsum est ergo quod Ecclesia negaverit semper veniam iis omnibus criminibus illa aetate. 2) Cogitare non licet Ecclesiam aetatis Apostolicae illique proxima, se aliter gessisse ac viderit ipsos Apostolos agentes, ab eorumque norma in re tam gravi voluisse recedere; licet hic aut ille Episcopus ob imprudentem zelum (quem admodum forte pater Marcionis), id sibi permissum esse sit arbitratus.

Id quoque liquet ex aliis testibus illius aetatis. Sane Irenaeus L. I. adv. haer. c. 9. refert mulieres quasdam, quae a Marco haereticarum fuerant constupratae, fuisse, exomologesi facta, in ecclesia receptas. Item in L. II. Pastoris (cuius haud exigua tunc erat in Ecclesia auctoritas) Mand. 4. ex Angeli mandato poenitentia et venia cuilibet peccatori et nominatim Moechis conceditur. Tum Dionysius Corinthiorum Episcopus sec. II. in Litteris datis ad Ecclesias Aemilianorum et ceteras simul Ecclesias Ponti, cunctos, qui a quovis lapsu sive delicto, sive etiam ab haeretica pravitate resiliunt, benigne suscipi iubet, ut testatur Eusebius H. E. L. IV. c. 23. Atque ita admittendos esse huiusmodi peccatores ad poenitentiam et absolvendos docet adversus haereticos Nazianzenus or. 39. in ss. Lumina n. 18. Ergo.

Et re quidem vera si ratio habeatur criminis quod admittit, qui in Catholica ordinatus sacerdos ad haereticos transit et apud eos se sinit ad Episcopalem evehi dignitatem, merito de hoc crimine affirmare cum Cypriano possumus: « quod maius potest esse delictum aut quae macula deformior, quam adversus Christum stetit, quam ecclesiam eius, quam ille sanguine suo paravit et condidit, dissipasse, quam evangelicae pacis et dilectionis oblitum contra unanimem et concordem Dei populum hostilis discordiae furore pugnasse? (epist. 22.) ». Et sane quis non videt hoc esse peccatum maius quam quod fideles admitterent vel moechando vel occidendo vel thus quoque idolis ex metu mortis offerendo? Et tamen illis Sacerdotibus reddentibus venia et communio concedebatur, teste et auctore Cypriano (ibid.). Qui ergo censebimus illis criminibus per se minoribus negatam fuisse ab Ecclesia universali veniam?

Obiicitur quod Cyprianus testatur Epist. ad Antonianum « Apud antecessores nostros quidam de Episcopis in Provincia nostra dandam pacem moechis non putaverunt et in totum poenitentiae locum contra adulteria clausurunt. » Sed haec fuit praxis particularis quorundam Episcoporum improbanda, sicut improbat a Cypriano.

Obiicitur Concilium Illiberitanum a Patribus Hispanis habitum

sub initium seculi IV paulo ante Nicaenam Synodum, qui frequenter in graviorum criminum reos hanc poenam decernunt: *nec in fine communionem accipiant: placuit nec in fine eos ad communionem suscipere.*

Respondeo *Communionem*, quam negant Illiberitani Patres, esse *Communionem Eucharistiae*; ut bene probat Natalis Alexander (H. E. seculo IV. Dissert. VII). Sane *Communitio* haec appellatur ab iis Patribus *communio Dominica*, can. 3°. De Flaminibus: « Item ipsi si post poenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius eis non esse dandam *communioem*, ne lusisse de *Dominica communitioe* videantur. » At *communio Dominica* non est absolutio, sed participatio corporis Domini. Rursus Can. 54 id decernitur: « Si qui parentes fidem frangerint sponsaliorum, triennii tempore *abstineant se a communitioe*. Atqui *communio*, a qua fidelis se abstinere dicitur, est quidem *communio Eucharistica*; at nequit esse absolutio a peccatis, non enim dicitur aut dici potest quod fidelis se abstinat ab absoluteione, sicut se abstinat a participatione mensae Domini. Adde simplici nomine *communitiois* significari per se *communitioem Eucharisticam* distinctam a *poenitentia* seu *actione poenitentiae*, ut patet ex responsis citatis Innocentii (pag. 83) et Leonis (pag. 81). Quare non satis accurati sunt, qui recensentes plures appellationes, quibus penes veteres absolutio a peccatis coram Deo significabatur, nomen *communitiois* cum ceteris connumerant, non admonentes saltem illud esse ambiguum. Eadem animadversio valere potest in appellatione *reconciliationis* et *pacis*, quae non tantum significabat absoluteionem a peccatis, sed et plenam remissionem poenae et cum Ecclesia *reconciliationem*, quae per sacramentorum participationem fiebat.

Itaque, ut ad Canones Illiberitanos redeamus, certe non secus ac nos, eos interpretati sunt Patres et Synodi subsequentium aetatum, qui quosdam ex iis canonibus urgent praecipiantque servari. Sic Adrianus I in ea collectione canonum, quam in Gallias misit, canonem recitat Illiberitanum 75. « Si quis Episcopum aut Presbyterum aut Diaconum falsis criminibus appetierit, et probare non potuerit, nec in finem dandam ei esse *communitioem* ». Sic in Concilio Coniensi sub Carolo Crasso canon 6 idem est ac canon Illiberitanus 13 « De Virginibus, si moechatae fuerint, statuimus sicut in Concilio Illiberitano can. 13 scriptum est: Virgines, quae se Deo dederunt, si pactum prodiderint virginitatis, atque eidem libidini inservierint, non intelligentes quod amiserint, placuit nec in finem dandam ei esse *communitioem* ». Atqui fieri non potest ut hi Patres nomine *communitiois* intellexerint absoluteionem a peccatis, nam ea

tum temporis, ex relaxato poenitentiae rigore, et potissimum ex lege edita in Concilio Nicaeno, omnibus in fine vitae constitutis concedebatur. Cum ergo isti Patres illud idem se dicant decernere quod decreverant Patres Illiberitani, vocem *communio* in Canonibus Illiberitanis non pro absolutione, sed pro Eucharistiae participatione acceperunt.

Adde probabile non esse Hispanos Patres voluisse adeo discedere a communi praxi Ecclesiae Africanae et Romanae, in quibus absolutio eorum criminum, quae a Concilio Illiberitano notantur, concedebatur, et voluisse praxim firmare, quae Novatianae haeresi adeo faveret.

Obiicitur Tertulliani auctoritas, qui in Lib. de Pudicitia Catholicos exagitans, illud aperte significat suo primum tempore pacem moechis ab Ecclesia Romana concessam fuisse, idololatris autem et homicidis semper fuisse negatam. Ait enim tunc primum prodisse decretum Pontificis maximi Episcopi scilicet episcoporum edicentis se moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimittere; illudque eo argumento Tertullianus reprehendit, quod cum veniam negent catholici idololatris et homicidis, neganda est quoque moechis, c. 9. « Quid agis mollissima et humanissima disciplina? Aut omnibus eis hos esse debebis; aut si non omnibus, nostra esse. Idololatram quidem et homicidam semel damnas; moechum vero de medio excipis, idololatrae successorem, homicidae antecessorem, utriusque collegam ». Unde ultimo capite sic colligit « quaecumque auctoritas, quaecumque ratio moecheo et fornicatori pacem Ecclesiasticam reddit, eadem debet et homicidae et idololatrae poenitentibus subvenire ». Quare Tertullianus ut factum certum assumit et tanquam suae disputationis fundamentum ponit antea idololatris homicidis et moechis fuisse veniam negatam, et etiam tunc duobus prioribus criminibus veniam a catholicis quoque negari.

Respondet Morinus l. c. et Natalis Alexander l. c. Tertullianum falso calumniari catholicos asserentem vel supponentem in Catholica Ecclesia veniam idololatris h. e. ad idolorum cultum post baptismum redeuntibus et homicidis semper fuisse negatam, et tum primo a Zephirino pacem moechis fuisse concessam. Cuius calumniae crimen ne videamur et nos calumniando homini haeretico imponere, probamus ex ipso Tertulliano, qui sibi manifeste contradicit. Sane 1) recolatur testimonium eius ex lib. De Pudicitia, quod dedimus in IV parte praeced. thesis post alios Patres. Ex eo constat, teste Tertulliano, Catholicos haec tria tanquam certissima habuisse et propugnasse. *Omnis criminis agenda est poenitentia — omni poenitenti danda est venia — veniae huius concedendae potestas est*

penes Ecclesiam: aliqui hac catholicorum universali doctrina continentur certe et haec peculiaris: Idololatris homicidis poenitentibus danda est venia ab Ecclesia: nam crimina sunt illa, et pro illis quoque agendam esse poenitentiam Montanistae concedebant, contra quos argumento ad hominem arguebant catholici, illud ipsum assumentes et exinde colligentes nulla esse peccata irremissibilia ab Ecclesia. Et re quidem vera 2) quod potissimum defendendum suscipit Tertullianus in lib. De Pudicitia, est distinctio inter peccata *remissibilia* et *irremissibilia* ab Ecclesia; « Causas poenitentiae delicta condicimus. Haec dividimus in duos exitus; alia erunt remissibilia, alia irremissibilia ». Testatur autem idem in initio huius operis se impugnare sententiam, quam prius cum Catholicis defenderat, « Erit igitur et hic adversus Psychicos titulus, adversus meae quoque sententiae retro penes illos societatem, quo magis hoc mihi in notam levitatis obiectent ». Ergo Catholici ignorabant vel reiiciebant hanc distinctionem inter remissibilia et irremissibilia peccata: igitur nulli peccato veniam denegabant Catholici. Et certe 3) catholici veniam cuique poenitenti concedendam et quidem ab ipsa Ecclesia contendebant, ut audivimus a Tertulliano; atqui Tertullianus catholicus in lib. De Poenitentia, de secunda poenitentia, h. e. de ea quae post baptismum agitur, loquens, c. 8. hortatur moechos quoque et idololatras ad poenitentiam cum spe veniae obtinendae; putabat ergo tunc Tertullianus peccatum moechiae et idololatriae remitti posse ab Ecclesia. Verba Tertulliani: « Offendisti, sed reconciliari adhuc potes. Habes cui satisfacias, et quidem volentem. Id si dubitas, evolve quae Spiritus Ecclesiis dicat: desertam dilectionem Ephesiis imputat, *stuprum et idolotorum esum* Thyatirenis exprobat, Sardos non plenorum operum incusat, Pergamenos docentes diversa reprehendit, Laodiceos fidentes divitiis obiurgat. Et tamen omnes ad poenitentiam commonet, sub comminationibus quidem. Non comminaretur autem non poenitenti, si non ignosceret poenitenti ». Et sane, licet quae habet Tertullianus eodem in lib. c. 4. (« omnibus omnino delictis seu carne seu spiritu, seu facto seu voluntate commissis, qui poenam per iudicium destinavit, idem et veniam per poenitentiam spondit ») spectent, ut vult Alaspinaeus, ad poenitentiam primam, h. e. eam quae baptismum praecedat, quia tamen deinceps poenitentiam alteram asserit propter eos qui post baptismum peccarunt, sub hac generalissima ratione, ut eis restituatur quod amiserunt, hoc solum adhibito quod *semel* peragenda sit; intelligendum est in secunda poenitentia non secus ac in priore valere illud universaliter dictum: Deum omnibus delictis veniam per poenitentiam spondisse. Itaque Tertulliano hac in re haeretico, thesim haeticam defendenti, re-

pugnanti testificationi aliorum Patrum et sibi ipsi contradicenti nulla est habenda fides.

Quid ergo dicendum? an Tertullianus adeo aperte veritatem impugnavit falsaque ostentavit? Puto ipsum, quod in quibusdam Ecclesiis usurpari viderat, universae attribuisse Ecclesiae, quamvis scientem sophisticè, ut non raro solet, argumentatum.

Difficultas tamen superest ex decreto Zephirini. Nam si ipse veniam concessit moechis iisque solis; ergo ante ipsum ea non concedebatur, aliis autem duobus a Zephirino quoque negata fuit. Secus quaenam causa stuporis et reprehensionis Montanistarum? imo quaenam causa cur ipse daret veniam, si iam dabatur? Respondeo ita quidem ex illo decreto argumentari illos catholicos scriptores, qui volunt primis duobus seculis fuisse negatam ab Ecclesia veniam tribus illis criminibus: cum vero falsum iam demonstraverimus consequens, nunc de ipso antecedente iudicium ferendum est. Hoc situm est in interpretatione illius decreti, quod ita concipitur editum ut 1^o sententia Rom. Pontificis fuerit: velle se veniam dari iis moechis, qui functi fuerint poenitentia: et 2^o hac sententia Rom. Pontifex discreverit moechos ab idololatriis et homicidiis quoad veniae consecutionem. Iam vero haec interpretatio, si seponas declamationes Tertulliani, cui fidendum haud esse demonstravimus, certa profecto non est. Si vero ponas quod demonstravimus et demonstrabimus rursus (cf. ultimum argumentum huius partis) Ecclesiam scilicet Romanam huiusmodi peccatoribus poenitentibus veniam nunquam negasse, patet quod ea interpretatio recipi nequit. Quid ergo? Cum ignoremus circumstantias decreti, difficile est determinare quaenam sit certa eius interpretatio: at licet aliquam probabilem interpretationem afferre, quin secum ipsa Ecclesiam Romanam committamus. Quid enim si penes aliquas Ecclesias exorta sit quaedam dubitatio (cf. testimonium Cypriani mox recitatum) circa huius criminis reos, quam finire voluerit R. P. edita proinde declaratione de ipsis tantum? Quid si ad compescendum hoc crimen declaraverit R. P. exigere se ut a moechis integra poenitentia (poenitentia functis) praescripta a canonibus absolveretur? qua in hypothesi potius quam lenitatis fuisset severitatis exostulandus Pontifex. Attamen Tertullianus ex eo decreto per se spectato potuit ansam arripere calumniandi catholicos.

Obiicitur quoque ratio agendi Cleri Romani et Cypriani in quaestione de lapsis in persecutione, qua in quaestione utriusque significant dubitare se quid agendum sit, et primum fiduciario decreto, deinde peremptorio aliquid novi sanciant. Sancit autem Clerus Romanus (vacabat tunc Sedes, et ante constitutionem Episcopi *nihil innovan-*

dum putabat clerus) fiduciario decreto tenendam esse in suspenso causam eorum, qui moram possent dilationis sustinere. Subvenendum vero, acta poenitentia, iis quos exitus vitae urgeret (epist. 2. Cleri Romani ad Cyprianum). Cyprianus vero antequam res per Synodum decerneretur, fiduciario decreto statuit, ut qui libellum a martyribus acceperat, si premi infirmitate et periculo mortis cepisset, exomologesi facta, et manu ei imposita a presbyteris in poenitentiam cum pace ad Dominum remitteretur (epist. XIII.). Decretum peremptorium editum sedata persecutione exhibetur a Cypriano epist. ad Antonianum: «Placuit, examinatis causis singulorum, libellaticos (qui ne idolis sacrificare cogentur, munera offerebant aut pecuniam, libellosque accipiebant a magistratibus, ut his veluti securitatis praesidio muniti sese a satellitum audacia et furore tuerentur) interim admitti; sacrificatis in exitu subveniri». Atqui haec quaestio non exstitisset in Ecclesia Romana et Carthaginiensi et frustra id decretum fuisset editum, nisi antea in utraque Ecclesia pax lapsis negata fuisset; ergo quibusdam peccatis venia negabatur.

Respondeo perperam id inferri, non secus ac illud quod infert Natalis Alexander: nimirum in Ecclesia Romana et Carthaginiensi antea fuisse negatam veniam lapsis, qui non postulaverant pacem dum sani essent. Nam quod in quaestione tunc in utraque Ecclesia veniebat occasione tot lapsorum, erat simplex quaestio disciplinae circa qualitatem seu quantitatem poenitentiae imponendae lapsis, quorum grande delictum et late propagatum eoque totum orbem pene vastatum dicit Clerus Romanus. Tenebat uterque et Clerus Romanus et Cyprianus, idque ex antiqua traditione, lapsis poenitentibus veniam esse concedendam; sed modus et qualitas poenitentiae, qua ad remissionem peccatores disponebantur, permissa erat arbitrio Episcoporum secundum adiuncta mutanda; et iuxta gravitatem criminis, scandali et periculi propagationis eiusdem, nisi efficaci remedio occurreretur, alia et alia disciplina poenitentiae, mitior aut severior adhibenda erat. Cum ergo tam grande crimen, et late propagatum lapsorum tunc exstitisset, cogitare cepit utraque Ecclesia de opportuno remedio, quo et praeteritis lapsis mederetur, et futuros lapsus quoque, quoad eius fieri posset, caveret. Quare ex iis decretis Cleri Romani et Cypriani non colligitur prius fuisse negatam veniam lapsis, neque enim iis decretis sancitum fuit veniam illis concedendam; sed colligitur nullam prius exstitisse legem immutabilem circa poenitentiam lapsorum; unde speciali existente crimine, poterat in quaestione venire, quid de eo agendum foret.

Eo autem decreto statutum est temperamentum medium inter Novatianum errorem, qui pacem vel poenitentibus ab Ecclesia dan-